

cap. xv. Epist. I. ad Corinth. & Tertullianus Lib. V. contra Marcionem cap. x.

IV. Originem istius baptismi alii eruebat ex frequentibus Pharisæorum lotionibus, alii ex prava intelligentia sequentis textus S. Pauli I. Cor. cap. xv. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Mortuus non esse baptizandos, nec vivos pro mortuis, cerum est, idque definitum fuit in Concilio Cathaginensi III. can. vi. *Carissimum est ne mortuos baptizari posse fratrum infirmis credat.* Ratio evidens est. Cadavera enim, anima rationali delituta cum sint, nec gratiam, nec regenerationem spiritualem recipere valeant. Nec professe baptismi nisi suscipientibus potest; sicut resurrectio unius non est alterius resurrectio.

V. Hec cum ita fe habeant, germanus apostolici textus sensus exponendus est. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis &c.* ? Estius in hunc locum, Calmet, & alii varias promunt interpretationes. Alii volunt, Apostolum ex consuetudine illorum qui viventes baptizabantur pro mortuis, inferre mortuorum resurrectionem; eoque ad hominem, ut aiunt, revincere, non illorum consuetudinem approbando, sed ex illa resurrectionis fidem inferendo. Quam interpretationem fuisse illustrare, & confirmare Calmet nititur. Altera interpretatio textum applicat his qui in lecto morti proximi decumbentes baptismum suscipiunt; & baptizari pro mortuis intendit, id est pro seipsis, quatenus sibi vite functis baptismus profuturus est. Tertio alii interpretantur pro mortuis, id est pro corporibus morti obnoxiiis; quae interpretatio hanc reddidit sensum: si non est carnis resurrectio futura, cur baptizantur corpora morti obnoxia? Frustranea quippe esset corporum ablutio, si post mortem resurgere non deberent. Hanc interpretationem præ alii præbet S. Ioannes Chrysolomus hom. x. in I. ad Cor. inquit: *In memoriam revocans Paulus dicebat: Si non est resurrectio, cur baptizatis pro mortuis, id est pro corporibus? Propter hoc enim baptizatis, mortui corporis credens resurrectionem, id est quod non maneat mortuum.* Hec Chrysolomi interpretatio non aridet. Etio. Omnes tres interpretationes suas patuitur difficultates.

VI. S. Thomas lect. iv. in hunc textum duas promit expositiones. Hæc, inquit, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut per hoc quod dicit, mortuis, intelligatur opera peccati, quæ sunt mortua, quia carent vita gratiæ, & dicuntur ad mortem... Et

secundum hoc plana est littera. Quid scilicet faciunt illi qui baptizantur pro mortuis, id est pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratiæ habituri? Alio modo, quia quidam tunc temporis volebant quod homines possent primo baptizari, ut sibi ipsi remissionem peccatorum consequerentur, & iterum baptizabantur pro aliquo consanguineo suo defuncto, ut etiam post mortem admitterentur ei peccata: & secundum hoc fit littera: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, scilicet consanguineis, pro quorum salute baptizantur, si non sit resurrectio mortuorum? Sed isti in aliquo commendari possunt, scilicet in hoc quod fidem resurrectionis videtur habere; sed in aliquo possunt reprehendi; in hoc scilicet quod unum credebant posse pro alio baptizari. Sed tunc est questio. Si oratio unius prodest alteri, quare non etiam baptismus? Ad hoc est duplex responsio. Una est, quod opera quæ faciunt viri, profunt mortuis propter unionem caritatis, & fidei: & ideo non profunt nisi illis qui decedunt cum caritate, & fide: unde in Jobelibus nec oratio, nec baptismus virorum profunt, tamen oratio prodest illis qui sunt in purgatorio. Alia responsio, & melior, quia bona opera valent mortuis, non solum ex vi caritatis, sed etiam ex intentione facientis. Sicut si ego dicere præsterium pro aliquo qui est in purgatorio, qui tenebatur dicere, ut satisfaciatur pro eo, valet quidem quantum ad satisfactionem solum illi pro quo dico. Dicendum est ergo secundum hoc, quod baptismus non habet virtutem ex intentione nostra; sed ex intentione Christi. Intentio autem Christi est ut baptismus illis proficiat qui in Christi fide baptizantur. Consequenter illud inconveniens explicat dicens: Si omnino mortui non resurgunt. Et ista explicatio videtur magis convenire secunde expositioni supraposte: quæ dicitur: Ut quid baptizantur pro illis, id est pro mortuis, si non resurgunt?

VII. Interpretationum varietas potest difficillem esse Apostoli textum. Secunda S. Thomæ interpretatio mihi ceteris præferenda videtur. Est enim litterali sensui magis consentanea & obvia. Nec est quod opponas, non esse vero simile, Apostolum voluisse ex prava quorundam consuetudine resurrectionem adstruere. Nam alibi invictis rationum momentis absolute S. Paulus mortuorum resurrectionem evincit. Hic argumento utitur illis revincendis valde tempelivo qui in more habebant vivos pro mortuis baptizare, hac pia credulitate, quod quemadmodum preces, ita & baptismus prodest defunctis

pol-

posset. Quisque tamen eam præligat interpretationem quæ probabilior sibi appareat.

VIII. Quest. III. Licetum ne est, & cuiusque superstitionis expertus baptismus campanarum? Resp. Ritum baptizandi campanas, ut superstitionis plenum, arguunt novatores Magdeburgenses, Holpiniatus, Vossius, alii-que. Istius ritus inventorem fuisse contendunt Ioannem XIII. qui anno 968. Lateranensis Ecclesie campanam consecravit, nullo precedente talis ritus vestigio. Campanæ autem, arguuntur isti, sunt baptismi incapaces. Ex quo inferunt, superstitionis & ridicularium esse baptismum illis collatum. Vana hæc sunt, & futilia.

IX. Ad antiquitatem campanarum quod attinet, vel in iplo veteri testamento consuetudo obtinuit convocandi populum ad Deum colendum sonitu tubarum, ut habetur Num. x. Hæc eadem consuetudo viguit primis Christianæ fideles aliquis instrumenti sonitu. Tempa non tubabant, nunc laminam ferream malleis pulsabant, antequam Urius Participatus circiter annum 865. Campanas mitteret ad Michaelen Imperatorem.

X. In Ecclesia occidentali campanarum usus sæculo v. viguisse, communis hæc opinio fuit, quas a S. Paulino Episcopo Nolano inventas asserit, dictasque propterea Campanas, & Nolas a Nola Campaniæ urbe. Hanc opinionem plures nostri temporis eruditi viri oppugnant, tamquam solido destitutum fundamento; non desunt tamen alii eruditi viri, qui communem opinionem defendunt. Verum diffidium illud & parvi momenti est, & ab instituto alienum.

XI. Ritum benedicendi campanas antiquiorem Ioanne XIII. evincunt rerum liturgicarum periti. Martene Lib. II. cap. xxi. de antiq. Eccl. Rit. Bona Lib. I. cap. xxxii. de reb. liturg. Cl. Ioseph Catalanus in Pontif. Rom. Part. II. tit. xxiiii. & alii plures. At non propterea licitus, & cuiusque superstitionis expertus dicitur ritus iste, quia Ioanne XIII. vetustior; sed ideo licitus ritus est, quia Ecclesia fruitur potestate qua novos instituit ritus valet. Baptismus campanarum lata quadam ablationem significat. Nec enim in hoc baptismi forma adhibetur sacramentalis, nec instructio, & catechismus, nec ministri intento huc tendit. Sed benedictur campanæ; ut sacro illo sonitu, & fragore turbini impetus, grandinum tempestates, spirituales infernales procul pellantur, ut fideles intelligent fe ad fidei christianæ mysteria ce-

lebrenda, Dei verbum audiendum, Deumque colendum convocari. Qui plura de hoc sacro ritu scire cupit, legat Gregorium Lib. de benedict. cap. xlv. Angelum Rocca cap. vii. Ex his constat, ab omni superstitionis labe immunem esse ritum istum. Sed Novatores nostri, non secus ac obseles & engerumini, sacras benedictiones omnes, & exorcismos detestantur, & reformidant. Ritus Romanæ Ecclesie omnes qui eorum palato delicatissimo non sapient, continuo superstitionis infimulant, & ascendant, ac si ipsi supremi iudices esset constituti ad iudicium ferendum in Romano-catholicæ Ecclesie ritus. Quam sit & ridicularia, & infana eorum audacia, nemo prudens non videt.

## C A P U T XV.

### De baptismi effectibus.

I. Sanctus Thomas III. Part. quest. lxxv. In suo sermone, in decem articulos tributo, effectus quos sacramentum baptismi producit in anima baptizati, recenset, & explicat. Præcipuus hic ego perscrinam; & errores hæreticorum obiter indicabo.

II. Originiste, ut refert Epiphanius heres. lxxv. docuerunt, peccata non deleri per baptismum, sed sopiri, & tegi. Pelagiani, cum peccatum originale negarent, necessaria consecutione illud per baptismum auferri inficiabantur. Iovinianus in aliud extremum lapsum cecidit. Non modo per baptismum auferri peccatum originale docuit, sed legitime sacro lavacro tinctum peccare postea non posse effutit. Lutherani, & Calviniani negant peccata per baptismum tolli, & revera delent, sed tantum tegi, & non imputari, Originistam errorem innovantes. His paucis delibatis, brevier effectus baptismi recensentur.

III. Quest. I. *Conferri ne baptismus gratiam sanctificantem?* Resp. Sententia adfirmans de fide est, innumeris Scripturarum testimonis declarata. S. Paulus I. Cor. inquit: *Sed ablutus estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Iterum ad Titum xxi. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.* Hæc gratia nos in Dei filios regenerat, & membra Christi efficit; ut inquit Apostolus ad Galat. iii. *Omnes filii Dei estis... Christum indivisum.* Rursum Rom. vii. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, veredes autem Christi.* Plura alia testimonia, alioquin obvia, prætereo. Gratia sanctificans, quæ infunditur baptizato, animam efficit divina nature consortem, & fecum



cum comites habet infusas virtutes, & dona Spiritus sancti, quibus expeditores sunt ad omnia pietatis officia fideles sacro lavacro tincti, & evadunt filii Dei, non per extrinsecam deputacionem, sed per participacionem divinæ naturæ, & communicacionem eiusdem Spiritus.

IV. Quæst. II. *Ausert ne baptismus omnia peccata quoad rationem culpe?* Resp. Adfirmant Catholici omnes, & luculentis Scripturæ divinæ oraculis evincunt, *baptizatorum usqueque vestrum in remissionem peccatorum*; Act. 11. Item I. Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filius Dei emundat nos ab omni peccato*. Item idem Ioannes cap. xiii. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Et S. Paulus Rom. viii. *Nihil ergo damnationis est in eis qui sunt in Christo Iesu*. Hac autem testimonia evincunt, non tegi, non imputari, sed penitus deleri peccata omnia. Qui enim renascitur, regeneratur, & renovatur, ut Scripturæ loquuntur, exunt veterem immunditiam omnem. Rationem adfert S. Thomas III. Part. quæst. lxxix. art. 1. Per baptismum moritur homo peccato, & vitam vivit divinam, ut asserit Paulus Rom. xi. *Existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu*. Ergo omnia peccata, quæ ad veritatem vitæ pertinent, in baptismo non reguntur, sed vere moriuntur. Idque docet constans, & perpetua Ecclesiæ traditio, ut definit Concilium Tridentinum sess. v. can. v. his verbis. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, que in baptismo conferitur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit*.

V. Nec est quod opponatur, remanere in baptizatis concupiscentiam, que, teste Apollolo, peccatum est. Quoadquidem peccatum concupiscentia ab Apollolo dicitur, non quod proprie ipsa peccatum formaliter sit, sed quia ex peccato proficiscitur, & ad peccatum inclinatur, & allicit, ut Concilium Tridentinum sess. v. can. vi. definit. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apollolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiæ catholicæ nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in re-natis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit*. Quod alibi obtrudunt, penitentiam que baptismum præcedit, delere peccata, nullius momenti est:

quia contritio etiam perfecta, si baptismi voto careat, peccatum originale non delet.

VI. Quæst. III. *An baptismus delet reatum pænæ æternæ, & temporalis?* Resp. Sententia adfirmans definita est in Concilio Florentino in decreto ad Armenos, in quo de baptismo definitum est: *Sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis, & actualis, omnis quoque pænæ*. Et hoc confirmatum in Tridentino fuit loc. cit. Rationem congruentem præbet S. Thomas loc. cit. art. 1. Aqua enim, inquit, non abluit modo, sed refrigerat etiam: & hoc suo refrigerio significat lubracionem reatus pænæ, sicut sua ablutione significat emundacionem a culpa. Præterea hoc constat Ecclesiæ consuetudine, que nunquam catechumenis sacro lavacro tinctis ullam satisfactoriam pœnam imponit. Remanent tamen pænæ temporales, nempe famēs, sitis, morbus, & mors ipsa, que suspendium peccati est: quoniam, inquit S. Thomas loc. cit. art. 3. *baptismus habet virtutem auferendi penalitates presentis vite, non tamen eas auferit in presenti vita; sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione*. Sunt enim eiusmodi penalitates materia & occasio certaminis spiritualis & pugnae, in qua homo videtur coronam assequitur. Advertit insuper S. Thomas, per baptismum remitti pænæ reatum apud Deum, secus apud homines. Quare homicidia, & alia crimina, infelixa societati, perpetrata ante baptismum, puniuntur a magistratibus, quorum interest ea plectere que publicam pacem turbant.

VII. Quæst. IV. *Baptismus imprimit ne characterem?* Resp. De fide est baptismum imprimere characterem; idque perpetua unscripta, tum orali Ecclesiæ traditione firmum est; ut definit Concilium Tridentinum sess. vii. can. ix. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*. Plura rationum momenta Patres assignant. Baptismus est regeneratio, & nova quedam natiuitas spiritualis. Porro sicut una est generatio, ita una est regeneratio. Rursus baptismus est similitudo, & imago mortis Christi Domini; ut ex S. Paulo evincunt Augustinus, & Thomas. At Christus, ait Paulus, semel mortuus est. Ergo &c. Item peccatum originale semel contractum, & delatum, nunquam revocatur. Ergo neque medium iterandum est. Quare omnia evincunt, baptismum characterem imprimere, quo semel regenerati secernantur ab aliis. VIII.

VIII. Quæst. V. *Quandam in præteritis baptizatus sit? Resp.* Baptismus rite administratus nunquam iterandus est, ut ex didictis patet. Diligenter tamen quandoque investigandum est, num error aliquis baptismi effectum destruens admisisse fuerit in eodem credendo, & de quo si constet, aut prædenter dubitetur, baptisma conferri debet. Et primo qui in aliqua heresi baptizatus est, examinari debet, num in sanctæ Trinitatis nomine baptizatus sit: & imbuendus, quo in sensu hoc mysterium credatur. Quod si inventus fuerit sub integra Trinitate invocacione tinctus, manus impositione confirmatus erit; ut declarat cap. si qui apud nos, de consecr. dist. iv. Si asserat, *se in nomine Domini tantum baptizatum fuisse, baptizandus denovo est in nomine SS. Trinitatis; ut statutum est cap. si revera*. Si ignoratur num baptizatus sit, neque baptismi indicia extant, similiter baptizari debet. Indiciam autem iterum num baptizatus sit, neque forma vitata baptizari hæretici illi a quibus tinctus est, soleant. Siquidem novatorum aliqui, ut fæsoleant, verba esse non consecratoria, sed consecratoria, unus quem fundit, alter evangelicæ Synodus Mechliniensis, celebrata anno 1607, & a Paulo V. approbata tit. 111. cap. vi. statuit, ut ab hæreticis (qui non sunt ab baptismum admittendi, ubi aliquis Catholicus prælo est) baptizati iterum sub conditione baptizentur. Ex quibus constat serio examinandos esse qui ab eiusmodi hæreticis baptizati sunt.

IX. Quæst. VI. *Qui ab obsterice baptizati sunt, debent ne iterum baptizari?* Resp. Adfirmant Synodus Mechliniensis loc. cit. & Irenæus cit. xii. Sylvius III. Part. quæst. lxxvi. art. 9. Farvacquesius quæst. viii. & alii. Quoniam, inquit, mulieres, necessitate urgente, turbati solent, & aliter Parochia interroganti respondere ac in ea perturbacione fecerint. Sed hoc verum esse potest; dum ad defectibus suspicio obstericem errare in aliquo quod ad baptismi substantiam attineat. Ceterum si obsterix prudens sit, & in examine Parochia eam constantem deprehenderit in asserendo, se & materiam aptam adhibuisse, & veram formam pronuntiasse, baptismus iterandus non est etiam sub conditione. Er hoc in sensu loqui videtur Synodus, & Authores citati.

X. Quæst. VII. *An infantes expofitii, scheidam collati baptisimo collo appendam habentes, sint rebaptizandi?* Resp. Adfirmant plures, negant alii. Ur mihi videtur, certo

casu solvendi absolute nequit; sed circumstantiarum varietas spectanda. Ritale Romanum, iussu Pauli V. editum tit. di bapt. hæc statuit. *Infantes expofitii, & inventi, se, re diligenter investigati, de eorum baptismo non constet, sub conditione baptizentur*. Cum sacramentum istud sit summæ necessitatis, quando auctor fidei non agnoscatur, & fide dignus non indicitur, baptismum sub conditione repetendum existimo. Et quia communiter eiusmodi fœdærum auctores signantur, ideo baptizandus sub conditione infans est.

XI. Quæst. VIII. *An baptismus fidei suspensus, subfata fisione, peccata delet?* Resp. Duplex fizio. Altera, qua quis exterius le simulat suscipere baptismum, sed interiori nec credit, nec vult baptismum suscipere. De hoc nulla questio in presentia: nam si nec effectum, nec sacramentum baptismi accipit, cum desit voluntas illum suscipiendi. Altera fizio est, qua quis revera suscipere baptismum vult; peccata tamen non detestatur, sed illa amore proficiscitur, non credit re ipsa, non sperat. Hæc baptismum recipit, quia vult illum sincere recipere; sed effectum eiusdem non recipit, ob impedimentam indicatam. Heinc qui baptismum suscipit in hæresi, in schismate, aut in Ecclesiæ catholica cum affectu ad peccatum mortale, dicitur fite accedere ad baptismum. De hoc queritur, num recedente fisione remissionem peccatorum assequatur?

XII. Sententiam negantem propugnat Scotus. Alii fateantur, remitti peccatum originale, secus actualia perpetrata ante baptismum. Sententia adfirmans vera est, quæ defendunt S. Augustinus, S. Thomas, & communiter Theologi, nempe recedente fisione, reviviscere sacramentum, & peccata tum originale, tum actualia ante baptismum perpetrata deleri. Luculenta sunt S. Angulini testimonia. Nam Lib. I. de bapt. cont. Donat. cap. xi. scribit: *Tunc valere incipit ad factum, cum illa fizio veraci confessione recesserit*. Item Lib. III. cap. xiii. de hæreticis ait: *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit*. S. Thomas III. Part. quæst. lxxx. art. 10. hæc promittit rationem. Causa que natura sua est effectus productrix, remoto impedimento, illum producit. Baptismus valde susceptus naturalis gratiam producit, nisi impedimentum obstat. Ergo, obstatulo subfato, respiciam illam effectum, quævis enim in se transierit, remanet tamen in characterem, qui, recedente fisione, virtute divina ad



gratiam producendam elevatur. Tandem peccatum originale deleri nequit nisi per baptismum in re, aut in voto susceptum. At baptizatus in heresi, in schismate, vel cum affectu ad peccatum mortale, remissionem peccati originalis non obtinet: ex alia parte is non rebaptizatur: neque enim heretici, cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, iterum tinguntur. Ergo baptismus susceptus, ablata fictione, gratiam producit, deletque peccata omnia tum originale, tum actuale ante baptismum perpetrata, & quæ ipsum comitantur, ut docet S. Thomas *loc. cit.* ad 2. inquis: *Baptismus auferit omnem culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existentium cum baptismum.* Subtiles quaestiones quas movere nonnulli solent, de peccatis perpetratis in instanti initiativo, & terminativo baptismi, prætereo. In praxi enim peccata commissa in ipsa baptismi susceptione cum affectu ad illa etiam post baptismum administratum consistenda sunt; & hæc per penitentiam delentur.

XIII. Quæst. IX. An qui scient rebaptizatur, incurrit irregularitatem? Resp. Adfirmant omnes. Cum de fide sit, baptismum rite administratum iterari non posse; sacri canones iuste poenam irregularitatis statuunt contra eos qui scient rebaptizant. Cap. *Eos quos de consecrat. dist. iv.* Disputant Theologi, num hæc poenam incurrit qui rebaptizatur iudicio, quando scient agnoscit esse baptizatum. Negat Leander *quæst. xix.* Verum disputatio hæc superflua videtur. Nam qui evidenter scit aliquem esse baptizatum, nisi aut heresi aliquid sit inquinatus, aut dementia laboret, non iterabit baptismum; & si iteret, non videtur a poena præfata immunis.

## CAPUT XVI.

## De baptismi caeremoniis.

MULTI & erandi Scriptores suo calamo, & uberi eruditione sacras caeremonias quibus baptismum administratur, illustrant, quos inter Iosephus Vicecomes de antiquis Ecclesie ritibus, Alba Spinæus *Lib. II. antiq. observat. cap. xxxvi.* Christianus Lupus *differt. de ali. S. Leonis IX.* Pauca ego hic delibabo.

II. Cæremoniae aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur baptismum. Plures in defectuendum abierunt. Nam aliquando tradita fuit baptizatus Eucharistia, adultis sub utraque specie, & parvulis sub specie vini, aut digito Sacerdotis intincto, aut admo-

calice. Illius ritus meminerunt Tertullianus de bapt. cap. ult. Ambrosius *Lib. de initiand. cap. viii.* Hugo Victorinus *Lib. I. de sacram. cap. xxix.* Concilium Tridentinum *sess. xxi. cap. iv.* decrevit, nulla parvulus obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistie communionem. Neque ideo tamen demandata est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Præterea narrat Callianus, Vicecomes, Martenus post Tertullianum, Clementem Alexandrinum, S. Hieronymum, *lat.* & mel deglutendam, fuisse tradita baptizatis, & alicubi vinum dulcis. Imponeretur etiam solum baptizatorum capiti, tamquam lætitiæ, & evangelicæ libertatis symbolum. Christiani enim dicitur I. Petri *ii. genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitio.* Tradebantur quoque baptizatis decem signa, & calceamenta, tamquam symbolum mortis, & Decalogi servandi. Cæremoniae illæ iam pridem obsolescere. Pauca nunc delibabo earum que in via sunt.

III. De tempore. In christiana religionis primordiis quolibet tempore baptismus administrabatur: post diebus Paschatis, & Pentecostes, ut iam supra indicavi: cuius ritus aliqua veitigia adhuc superant; cum in per-vigilio Paschatis, & Pentecostes fontes baptismales solemniter benedicantur. Tandem propter fidelium auctam multitudinem quovis tempore tum infantes, tum adultos baptizare coeptum est. Rituale tamen Romanum præscribit ut in baptizandis adultis, nisi vitæ periculum instet, antiquus ritus, quantum heri commode potest, præferri in metropolitans, & cathedralibus Ecclesiis retineatur.

IV. De loco. Nullus fuit nascentis Ecclesie tempore baptismum administrando designatus locus; sed in vis, in fontibus, in fluminibus, in domibus, in plateis baptizabantur tum pueri, tum adulti. Deinde designatus fuit locus iocet penes Ecclesiam cathedralis. Illius moris Florentiæ, & Pisis duo extant baptisteria per insignia: quia antiquitus solum Episcopi baptizabant. Devoloit ad Parochos baptismi conferendi ministerio, in Ecclesiis parochialibus erecta sunt baptisteria. Digna hæc culta quodam sunt, quod consecrata sint; & a Patribus vocantur mater adoptionis, & regenerationis sacrarium.

V. De sacro baptismatis fonte. Aqua naturalis est baptismi materia necessaria. Ex præcepto Ecclesie, ab apostolica traditione accepto, aqua hæc sacro ritu benedicta sit oportet, orationibus Sacerdotis, contactu

ma-

manus, repetito crocis signo, cerei immersione, insultatione, & christianis mixtione.

VI. Cæremonia aliæ que baptismum præcedunt. Præsentatio baptizandorum ante Ecclesie ianam, quam ingredi nequeunt; cum sint per culpam originale filii diaboli: quibus ingressus non conceditur, donec vel per se, vel per susceptores declaraverint se velle, excusos diaboli servitium iugo, Christi libertatem amplecti. Deinde quod petat ab Ecclesia Dei, Sacerdos inquit: reponitque, Baptismum. Succedit exorcismus ad expellendam demonem, & Sacerdos ter spiritat in faciem baptizandi, ut antiqui serpentis flatum expellat. Sal in aquam immittit; ut victorium pulvis putredine, honorum operum saporem baptizatus gisset. Crucis signo obsignatur frons, oculus, aures, humeri, pectus, ut eius sensus excitentur, & muniantur ad divina præcepta intelligenda, & servanda. Nares & aures saliva liquoratur, & Ephpheta, idest adaperire, pronuntiat.

VII. Cæremonia qua baptismum comitantur. Baptizandum ad sacrum fontem Sacerdos adducit, cumque ter interrogat: *Abrenuntias satana, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius?* Respondet baptizandus aut per se, si sit adultus, aut per patrum, si sit infans, ad singulas interrogaciones, *Abrenuntio.* Deinceps Sacerdos interrogat: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Respondet baptizandus, *Credo.* Et iterum de aliis symboli artificialis interrogatur: & respondet, *Credo.* Tandem interrogatur: *Vis baptizari?* & consentientem baptizat in nomine Patris &c.

VIII. Cæremonia post baptismum consequuntur. Baptismo peracto, Sacerdos baptizati capiti verticem inungit, veste candida illum induit, si sit adultus; si infans, linteolum albam capiti eius imponit, dicens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam præstas aut Tribunal Domini nostri Iesu Christi, ut habes vitam æternam.* Cœrem ardentem ad manum baptizati, aut eisdem susceptoris tradit Sacerdos, in symbolum fidei caritate ardentis, quam in baptismum cum aliis virtutibus, & donis acceptam custodire debet. Nomen quoque imponitur alicuius ex sanctis viris qui verum Deum coluerunt, missis profana Gentilium nominibus.

IX. Quæst. I. Utrum requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte suscipiat? Resp. Adfirmant omnes; & congruentem rationem assignat S. Thomas III. Part. quæst. lxxvii. art. 7. his verbis. *Spiritualis regeneratio que fit per baptismum, assimilatur quodammodo*

*generationi carnali; unde dicitur I. Petri ii.* Sicut modo genti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pedagogo. Unde in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis, & pedagogi, informando, & instruendo eum, quasi novitum in fide &c. Officium autem patrum multiplex est. Nam, 1. Offerunt baptizandum Ecclesie. 2. pro illo promittunt. 3. loco eius ad interrogata respondent, in symbolum recitant, fidem profiterentur, & sitate abrenuntiant. 4. testes baptismi sunt, & dubio occurrente fidem faciunt. 5. debitum contrahunt imbuendi susceptum sum in fidei morumque præceptis. Advertit tamen S. Thomas *loc. cit. art. 8.* excusari committer inter fideles ab eiusmodi debito patrum, quod hæc instructio committitur a parentibus, & a Parochis præfatur. Si tamen, inquit, quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.

X. Quæst. II. Utrum quilibet indifferenter eligi in patrum possit? Resp. Nequaquam. Qui hoc munus suscipit, debet esse Catholicus, & etiam, si commode possit, confirmatus, bonisque moribus instructus. Nullo modo admittendi sunt ad hoc officium heretici, & schismatici, quibuscum nullam commercium Ecclesia habet.

XI. Quæst. III. An pueri præditi usu rationis possint hoc munus subire? Resp. Adfirmat Leander cum pluribus aliis. Quidquid cal, a possit admitti in aliquo necessitatis caso, res ipsa tamen, ut mihi videtur, admitti non debeat. Sed illi ad hoc munus vocandi sunt qui vices pedagogi, & magistri docentis in rebus fidei, & morum implere valent.

XII. Quæst. IV. An Parochi administrantes baptismum sine patrum presentia moraliiter Resp. Adfirmat communis sententia. Licet enim ritus patrum non sit de necessitate sacramenti; est tamen de necessitate præcepti essentialis. Et qui ritus ab Ecclesia præscriptus violant, peccant mortaliter, cum materia gravis sit, sicut est in casu proposito. In privato tamen baptismum non videtur infringere præceptum istud, præsertim necessitate urgente; ut docent Suarez, Sanchez, & sequitur Leander *disp. vii. quæst. III.*

XIII. Quæst. V. An plures debeant esse patrum; & an Monachi, & Regulares possint hoc officium exercere? Resp. Concilium Tridentinum *sess. xxiv. cap. II.* statuit, ut unus

120



tantum, sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizantemque patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Patrem, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab his ad quos spectabit, suscipiat, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; & in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant. Si tamen plures tangerent, & nemo illis designatus; tunc iuxta lvs antiquum omnes contraherent, ut communior opinio docet.

XIV. Quantum ad secundam partem, Monachi sunt expresse exclusi ab hoc officio: cap. Non licet de consecr. . . dist. iv. & cap. Monach. Si tamen puerum ex sacro fonte suscipiant, cognationem spirituales contraherent.

XV. Regulares Mendicantes non comprehendi laudato cap. contendit Leander quæst. xvi. cum aliis. Verum probabilior illi videtur sententia opposita: quia non minus deebet Regularis Mendicantes quam Monachus familiaritatem habere cum feminis. Et hanc sententiam defendunt Angelus, Prævidus, Sanchez, Filiucius, Bonacina, Ledesma, Rodriguez, Diana, Layman, & alii, quos citat ipse Leander in P. Druin de Re Sacrament. quæst. ix. cap. 1. §. 2. in confirmationem huius sententiae adducit decretum Concilii provincialis Aquisgranensis his verbis conceptum. *Comperit ne adhibetur Regularis aliquis, nec passim Clericus secularis sacris initiatus; aut beneficium ecclesiasticum obtinens. . . . Quod idem de confirmatione intelligatur.* Quid quocumque fere ordinis constitutiones id vident? Et profecto rationibus pluribus congruum est ut Regulares ab hac cognatione spirituali abstanteant. Nec superiores indulgere, licentiamque concedere debent, ne sint occasio plurium cognationum.

XVI. Quæst. VI. Quot sunt persone quibus cum patris contrahit cognationem spirituales? Resp. Tres sunt, nempe baptizatus, pater, & mater eiusdem, ut constat ex Tridentino sess. xxiv. cap. 11. Quare inter illum & iitos matrimonium esse nequit. Nulla ergo nunc est cognatio fraternitatis spiritualis inter baptizatum, & filios patris.

Nulla quoque cognatio inter patrum & matrum, seu inter duos susceptorum, nullumque inter eos oritur impedimentum, ut docent committere Auctores, inquit Leander quæst. xxix. Similiter baptizans contrahit cognationem spirituales cum baptizato, cum patre, & matre eiusdem. Sanchez, Reginaldus, Bonacina contendunt, patrum non contrahere cognationem spirituales, si per errorem suscipiat filiam Pauli, credens eam esse filiam Petri. Sed hæc opinio falsa est; cum diversitas hæc materialis omnino sit respectu officii patris. Quando quis mittit procuratorem, ut nomine suo suscipiat baptizandum, quis contrahit spirituales cognationes? Sotus in IV. dist. iv. quæst. 1. art. 2. Toletus Lib. VII. cap. VIII. & alii defendunt, cognationem spirituales contrahi a procuratore, qui nomine principalis suscipit infantem de sacro fonte. Alii contendunt contrahi a principali. Alii tandem nec a procuratore, nec a principali contrahi dicunt: non a procuratore, quia gerit voces alterius; non a principali, quia reipsum officium patris non exercet. Hanc opinionem defendit Leander dist. vii. quæst. xxii. & pro eadem citat Sa, Reginaldum, Filiucium, Dianam, & alios. Hæc opinio mihi fallax est, & primam probabiliorum existimo.

## CAPUT XVII.

Professionis baptismalis onera. Abrenuntiationis vis, & significatus.

I. Hæc sunt baptismi naturam, proprietates, effectus, & plura que disputant inter Theologos solent, brevi calamo exponi. Illud nunc reliquum est ut factum illud fœdus quod Christiani baptizati cum Deo adversus diabolum, eiusque pompam, mundum, eiusque oblectamenta, & lenocinia inceptis, paucis perstringam. Fœdus conventio inter partes duas est, qua altera alteri sese obstringit ad aliquid præstandum, adiectis symbolis externis, quibus contractum mutuum fœdus solemniter testificatione laiciatur. Porro Christiani in sacro regenerationis lavacro solemniter in faciem Ecclesie, spectantibus Angelis, perpetuam servitutem Deo spondent, eiusque mandatorum observantiam: & Deus vicissim suam gratiam, dona, auxilia impertitur, atque æternam pollicetur coronam.

II. Sancti Ecclesie Patres, præsertim Dionysius, Ephrem Syrus, Basilus, Cyrillus, Alexandrinus, Ambrosius, Chryliformus, Au-

Augustinus, Hieronymus, & ceteri fere omnes professionis baptismalis onera sua oratione exponunt, & Christianorum animis imprimere student. Illorum prolixiora testimonia prætereo, & pauca duntaxat ex Chryliformo, Ambrosio, & Augustino delibabo. Ille homil. xxi. ad pop. Antioch. renuntiationem in baptismo factam his verbis extollit. *Die igitur continue: Abrenuntio tibi, satana: nihil hac voce iutus, si ipsam per opera exhibeamus. Hanc & vos, imitandi, ut discatis obsecro. Hæc enim vox confederatio cum Domino est. Et sicut nos servos ementes, ipsos qui venduntur, prius interrogamus, an nobis servire velint; ita facti & Christus e cum te in servum assumpturus est, prius interrogat, an velis illum crudeliter tyrannum, & impium mitem desere, & sædera tecum ponere, ac suscipi. Non enim coactum, & violenta est eius dominatio. Lege ibi plurima. S. Ambrosius Lib. 1. de Sacrament. cap. 11. scribit: Venimus ad fontem: ingressus es: considera quos videtur, quid locutus sis considera; repete dilige. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi levita Christi, quasi luciferum huius sæculi luctaturus, professus es luciferum tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in sæculo, sed coronaris a Christo, & pro certaminibus sæculi coronaris. Nam est in celo premium, hic tamen meritum premii colligitur. Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo, & operibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo, & voluptatibus eius? Quid respondisti? Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tui series cautionis. Si circigraphum homini dederis, tenebis abnoxius, ut pecuniam eius accipias: teneris strictus, & reluctante te fenerator asstringit: si recusas, vadis in iudicium, atque illic tua cautione revinceris. Ubi promissus, considera, vel quibus promissus. Levitam vidisti: sed minister est Christi. Præstisti illum ante altaria ministrantem. Ergo circigraphum tuum tenetur, non in terra, sed in celo. Considera ubi capias sacramenta celestia. Ergo abrenuntias mundo, abrenuntias sæculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem considerat. Et tu, qui fidem debes Christo, adem serva, que multo pretiosior pecunia est.*

III. S. Augustinus pluribus in locis professionis istius meminit. Pauca ex Lib. IV. de Symbolo ad catechum. transcribam. Cum exclusus fuerit pessimum irruator, introducatur optimus possessor. Quis est irruator? Diabolus. Quid irruat? Hominem, quem non

fecit, insuper & decepit. Promisit ei immortalitatem, & propinavit iniquitatem. Hæc vox renuntiare professi estis, in qua professione, non hominibus, sed Deo, & Angelis eius conscribentibus, dixistis, Renuntio. Renuntio non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguæ, sed & actu vite; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus prominentibus. Scitote vos cum callido, antiquo, & veteroso inimico suscepisse certamen: non in vobis potest renuntiationem inveniat opera sua, non tunc tunc attrahat in servitutem suam. Deprehenderit enim, & detegerit, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, factis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens professionis tue fidem: modo ingreditur Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum Isthinitibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi? Noli te fallere: dicit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores: quos certis via sua desertores. . . Eligite enim Creatorem mundi, & renuntiate pompis mundanis, quibus princeps est diabolus cum angelis suis.

IV. Intrepide Christiani omnes, & audenti animo respondent, se diabolum spernere, detestari, reicere, se cum eodem certamen habere, & eiusdem victores evadere, nunquam eidem falces submittere, aut obsequium præstare. Hæc ore pronuntiant: ab numquid opere implent? Renuntiant diabolo, & operibus eius. Opus illius superbia, cuius ille primus auctor est, & quaque illam ex Angelo diabolum efficit. Hæc omnis peccati radix & initium. Hanc in nos per Adamum prævaricatorem ille transfudit. Hæc est lues veneficima, quam per originale culpam contraximus omnes, quæque dominatur, & bonis ipsis operibus nostris insidiat. Sicut ex peste dominante committere moriuntur homines, sic immanissima superbia lues plures quam ex aliis morbis qui inde proficiscuntur, pereunt, & ad demonum orcum corrunt. Recogita ergo, o Christiane, nam revera opere superbia renuntiaveris, nam humilitatis spiritum, nempe Christum Dominum, indueris: alioquin fallax est renuntiatio tua, mendax sit professio tua. Superbia germina sunt pompæ mundi, ambitio, arrogantia, vanagloria, prudentia carnis, elatio cordis, hæc, & alia id genus interioris pompæ diaboli sunt; exteriores vero, vestes nimium vanæ, redies nimium superba, spectacula, choreæ, lautiores epulæ, magnifica spelæx, quibus homines effere se lupra ceteros gæstant.



V. Quid? Diabolo ne adherent, professionemque baptismalem violant qui splendidas induunt vestes, qui superbas inhabitant aedes, qui lautis epulis vescuntur, qui specula & choreas frequentant, & ceteris mundi oblectamentis fruantur? En oculisimos scopulos, quos declinare difficilimum est. Quoniam ex superbia ignorantia nascitur, que impedit, nisi divinum affusetur lumen, eorum que indicavi, five honestatis, five malitie consilia dignoscere. Dum homo in eisdem ultimam finem constituit, proculdubio peccat. Porro quandomam praefata homo tamquam ultimam finem, in quo sistat, & quiescat, sibi constituit, quis scire hominum absolute valet? Quisque interrogare conscientiam suam, & serio examinare debet, num pompas, epulas, oblectamenta ludorum, chorearum, spectaculorum, & pompam in Dei gloriam, & cultum referre sincere possit.

VI. Tria sunt praeculis habenda, ut diiudicetur, an aliquid ad diaboli pompam pertineat, 1. christianam professionem sanctitatis, 2. iustitiam, 3. christianam moderatum, ut iniquum communiter graviores Theologi, quos inter Merbesius III. Part. *quest. 11.* Quis iniquitas ierit, que ex peccato manant, aut ad peccatum inducunt, patrandique peccati occasione proxima, vel propinqua sunt, ut chorea proxima, saltationes nocturnae, feminarum nuditates, superflua, & immodeste vestes, pompa immoderate, comedia obscene, spectacula impudica, & plura alia eiusmodi, ad diaboli pompam perirent? In *spectaculis* (inquit Salvianus Lib. VI. de gubernat. Dei) *quaedam fidei apostasia est, & a symbolis ipsius, & celestibus sacramentis levis praevicatio. Qua est enim in baptismo salutaris Christianorum prima confessio? Quae scilicet, nisi ut venustate se distolere, ac pompis eius, atque spectaculis, & operibus protestentur? Ergo spectacula, & pompa etiam iuxta nostram professionem opera sunt diaboli.*

VII. Sumptus effusi, aedes plus aequo magnificae & superbae, opipara convivia quotidiana, vestitus plus iusto splendidus, servorum turba, currus, equorum multitudo, & alia similia, si impediunt quominus debite elemosyna erogentur, mercenariorum, & mercatorum debita solvantur, & liberi honeste educantur, si ad illicita persequenda inducant, & in miseriam, angustiasque detendant; professioni christiane adversentur, & ad diaboli pompam attinent, & christiane moderatis limites transiunt. Quod enim

five in superbo vestitu, five in divitiis conquirendis, five in epulis exquisitioribus, five in comediis frequentandis, five in ludorum abusu discrimen inter Christum, & diaboli propositos? Porro Christianis omnibus haec *Act. 17.* inquit Paulus I. *Cor. cap. vii.* denuntiat. *Hae inquit dico, fratres: tempus breve est; reliquum est ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint; & qui sicut, tamquam non sicut; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi. Qui sunt castitatis distinctio, honestatis, & malitiae, ut limites peccati mortalis, & venialis patefiam, & alias similes distinctiones multiplicem. At haec me ignorare confiteor; nec aliud repone valeo, nisi ut professionis baptismalis memores sint; & ut serio pauca que ex Patribus delibavi, meditentur. Quoniam si pro viribus, que Deo solemni ritu sponteque, implere studuerint, lumen caeleste attingentur, quo & laqueos diaboli devitare, & divina implere mandata poterunt.*

VIII. Abrenuntiationem nostram appellant Patres. S. Augustinus episc. *lib. ix.* *Vocentur, inquit, omnia que offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio; quo sacramento predicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vivimus in Christo esse mansuras, utique in compage corporis Christi, cuius rei sacramentum est, quod unus panis, unum corpus multi sumus. In baptismo maximum emittimus votum, quo spondemus in compage corporis Christi nos permanisuros. Haec promissa extolvimus, cum sacrum eucharisticum panem sumimus, cuius participatione, veluti quodam divinae caritatis vinculo copulati, unum corpus cum Christo capite constituimus, & hac ratione maximum votum persolvimus. Christianis ergo religiosus est, cuius vita ad religionem, quam Christus ipse instituit, normam exigenda est: quae religio omnes religiones, seu sacros ordines peperit. Votum istud, inquit Cardinalis Berullus apud Merbesium *loc. cit.* religionis Christi (quam Christus ipse instituit, quamque omnium prima professio est Beata Virgo, & Apostoli, primique Praepositi) votum est non secundum, aut quartum, aut nonum in privati cuiuspiam Ordinis; sed votum in primaris christiane religionis officii fundamentum. Votum est, non religionis que suam originem viro culpam sanctissimam referat acceptam, que ad sui regimen praescriptam ha-*

beat

beat regulam, quae se ab illis externo habitu differre patefaciat; sed religionis quam Sanctus sanctorum, & ipsemet Dei Filius instituit, quo totius orbis terra limitibus circumcircibitur, quo unum Evangelium, veluti divinam suae directionis regulam, intoret, quo habitum induit ipsum Christum Dominum. Hoc est votum, haec est professio solemnis quam Christiani omnes in baptismo sacro ritu Deo vorvent, & a qua cetera omnes religiones proficiuntur. Absit tamen ut simplicem Christianorum statum, & ordinem praeter contemdam monasticam professionem, quae tria consilia evangelica Deo servanda vovet. Sed professionis christianae dignitatem, altitudinem, & perfectionem, in caritate sitam, dumtaxat expono, ut Christianos excitem ad ea que Deo vorerant, implenda. Christianam abrenuntiationem non modo antiqui Patres, sed Theologi ipsi graviores votum appellant. S. Thomas Theologorum Princeps *2. 2. quest. lxxxviii. art. 2. ad 1. docet. Hic modo sub voto baptizatorum casus abrenuntiare pompis diaboli, & fidem Christi servare: quia voluntarie fit, licet sit de necessitate salutis.*

IX. Merbesius *loc. cit.* plura rationum momenta in medium promit, ut evincat, abrenuntiationem in baptismo factam veram voti rationem habere. Veram quoniam hanc tanti non facio, ut longius eam producendam existimem. Illud latet, omnes fatentur, abrenuntiationem baptismalem deliberatam, & solemnem professionem esse de re grata Deo, & accepta, qua Christiani fedus cum Christo Iesu ineunt, illique perpetuum spondent servitute. Omnes quoque fatentur debent, graviter Christianum peccare, vio-

lando aliquod mandatum, quam Ethnicum & infidelem; ut S. Thomas in *II. dist. xxxviii. quest. 1. art. 2. ad 3. docet. Magis peccat baptizatus eodem genere peccati, quam non baptizatus, ut patet Hebr. x.* Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei concuicaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? *Et. Et ideo non frustra emittitur (commune baptisimi votum) cum addat aliquam obligationem; sicut lex scripta addit aliquam obligationem supra legem naturae, & ita non facit aliud peccatum, sed novam deordinationem addit. Neque cavillaris, inauditu esse quod haec addita circumstantia aperi in confessione debeat: quoniam Confessant non ignorat, penitentes suos baptizatos esse; & consequenter peccata ab illidem perpetrata, multo graviora esse ratione voti, seu professionis emissa in baptismo viget. Ipsi enim praeculis habent oportet montum Concilii Tridentini *sess. xiv. c. viii.* ubi haec habentur. *Divina iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati, & demonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum conturbare non formidaverint. Et divinum elementum decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti intus, & contumeliosus Spiritus sancto, in graviora labamur, & servantes nos in die ira.* Missis itaque disputationibus, quae subtiliter vitiligant, non recte vivere docent, ea meditentur pil lectores quae ex Patribus, & Conciliis brevi calamo delibavi.*

